

6

DISSERTATIO ACADEMICA
De
RESPECTU PARENTELÆ,

Quam

Confensu Amplissimæ Facultatis Philosophicæ in Regia Academia Aboënsi,

PRÆSIDE

*Mag. JOHANNE BILMARK,
Historiar. ac Philosoph. Pract. Professore Reg. & Ord,*

PRO GRADU PHILOSOPHICO

Publice examinandam proponit

*JOANNES WIDE,
Angermannus.*

In Auditorio Majori die I. Aprilis MDCCXCV,

Horis ante meridiem consuetis.

*ABOÆ,
Typis FRENCKELLIANIS.*

KONUNGENS
TRO-TJENARE, ÖFVER-DIRECTEUREN
OCH BRUKS-PATRONEN,
HÖGÄDLE,
Herr JOSEPH BREMER,
HÖGGUNSTIGE GYNNARE,

Såsom mina omfländigheter ej synas lofva mig något tilfälle, då jag kunde lämna HERR ÖFVER-DIRECTEUREN verkeligt vedermåle af min vördnadsfulla erkänsla för de många välgerningar, hvilka jag af HERR ÖFVER-DIRECTEUREN fått åtnjuta; så fordrar min skylighet, at tilägna HERR ÖFVER-DIRECTEUREN detta Academiska arbete, såsom en underpant på min tacksamhet. Himlen förunne HERR ÖFVER-DIRECTEUREN och Dells Famille många glada dagar! I hvilken önskan jag med djup vördnad framhärdar at vara

HÖGÄDLE HERR ÖFVER-DIRECTEURENS
OCH BRUKS-PATRONENS

*ödmjuks tjenare,
JÖNS WIDE.*



PRÆFATIO.

Indolem præceptorum Legis Naturalis considerantibus statim fere obvenit singularis, quæ in illis elucet. Dei O. M. φιλανθρωπία & nostræ cura felicitatis, cuius fruptione ne ullus mortalium excideret, scita illa adeo simplicia & perspicua esse voluit Summus Legislator, ut quilibet animum ad ea advertens, eadem & intelligat, & ad eorum tenorem se componere queat. Quod sicut generaliter est verum, ita speciatim de Juris Naturalis præceptis, statum spectantibus conjugalem, valet; quippe quæ hoc potissimum sanciunt: ut par hominum diversi sexus, dum ætas eorum ac conditio ita ferunt, societatem sibyllis procreandæ & educandæ causâ, nec non in mutuum adjutorium libere contrahant, atque in hac contracta amanter & decenter se gerant. Est quoque hæc societas omnium simplicissima, sed quæ tamen fundamentum sternit cæteris societatibus magis compositis; quas inter quum societas emineat civilis, ex sua indole tam ingravescenti malorum temeritati frenum injectura, quam alia, ex quibus felicitas censetur temporalis, commoda promotura; necessarium fuit, ut societates quælibet minores certis adstringerentur legibus, ne turbæ, in his forte gliscentes,

tes, ipsam civitatis compagem citius serius destruerent. Docet itaque Historia, quod boni Principes, ordinem ac decus in societate conjugali promotum ituri, naturalem hominum matrimonia contrahendi libertatem, legibus connubialibus, quales & publica & privata postulare visa est salus, restrinxerint, atque matrimonia inter quasdam personas cum alias ob causas, a nobis hac occasione non explicandas, quam præcipue ob earum propinquitatem severissimis sub poenis interdixerint. De genuino autem hujus interdicti fundamento Eruditis inter se non convenientibus, rationem ejus aliis in Jure Naturali sciscitantibus, aliis autem eandem ex Jure Positivo Universali deducentibus; operam haud inutilem nos facturos existimavimus, si in ambiguam hanc disceptationem, quantum juvenilis ingenii vires ferant, paulo diligentius inquiramus.

§. I.

Quæ de legibus, quibus propter cognitionem seu ni-miam personarum propinquitatem matrimonia prohibentur, jam modo subinnuimus, de institutis plerarumque gentium, inter moratores habitarum, valent; quæ tamen de numero graduum, in matrimonio contrahendo prohibitorum, inter se non conveniunt. Extra instituti vero oleas evagaremur, si hanc discrepantium præeunte Historia enarrare vellemus, quare nobis sufficit, strictim indicasse gradus, a plerisque ipsis populis pro interdictis habitos. Ut itaque in rem præsentem veniamus, observamus, ad commemo-ratam propinquitatem referri *Cognitionem & Affinitatem*; illam esse vinculum sanguinis inter personas, quarum vel una ab altera, vel utraque a communi quodam stipite descendit, & dispelci communiter solere in *Secularem* ac

Spir-

* * *

Spiritualen, & hanc posteriorem contrahit inter Suscep-
rem & infantem, ab illo in Sacro Baptismi lavacro leva-
tum, cui instituto ne deeslet titulus, Susceptorem, *Pa-*
trem Spiritualem, baptizatum vero filium vel filiam *spiri-*
tualem nuncuparunt (a). *Secularis* rursum statui solet du-
plex: *Naturalis* videlicet, & *Legitima* seu *Civilis*, qua-
rum haec siebat per *Adoptionem*, prisco, quam nostro æ-
vo frequentiorem, a veteribus Romanis naturali consan-
guinitati adeo æquipararam, ut adoptans & adoptata matri-
monio jungi prohibeantur, eriam postquam per emancipa-
tionem adoptionis jura fuerunt soluta (b). In intuitu cognatio-
nis *naturalis* matrimonia fuerunt interdicta inter adscen-
dentes & descendentes in eadem linea, sive proximi essent,
sive ulteriorum graduum, inter quas personas in infinitum
non concedebatur matrimonium: quare etiam harum con-
nubia dicta sunt incesta, itemque nefaria, ceu ira abomi-
nanda, quasi de eis ne quidem fari liceret. In linea col-
laterali æquali prohibita quoque fuerunt connubia in pri-
mo, plerumque etiam in secundo consanguinitatis gradu,
juxta computationem Canonicam, videlicet inter fratres
& sorores, tam germanos, quam consanguineos & uteri-
nos, nec non inter consobrinos. In linea denique collate-
rali inæquali prohibetur matrimonium inter personas, quæ
quodam respectu ut parentes & liberos se habent; ea ve-
ro instar parentis se habere censetur, quæ stipiti, a quo
utraque suam dicit originem, immediate subest; illicitum
igitur est matrimonium inter patruum & fratriss filiam,
inter avunculum & sororis filiam, inter amitam & fra-
tris filium &c. Matrimonium contrahere volentibus im-
dimendo quoque est *Affinitas*, quæ est nexus civilis dua-
rum cognationum, mediante connubio factus, seu acces-
sio unius personæ ad familiam alterius mediante carnali
copula facta; quare affinitas contrahitur inter unum con-

* * 4 *

ugen & alterius conjugis cognatos. Dicti autem, ceu
videtur, *Affines*, quod duæ cognationes, quæ inter se
sunt diversæ, per nuptias copulentur, & altera ad alterius
finem accedit. Quod ad prohibitionem matrimonii ra-
tione *Affinitatis*, sequentes potissimum tradi solent regu-
læ: In linea Recta inter affines, qui sibi sunt adscendent-
tium & descendenter loco prohibetur matrimonium; Et
qui gradus in consanguinitate sunt prohibiti, illi etiam in
affinitate censentur interdicti; quare nec vitrico privi-
gnam, nec privigno novercam ducere licet. In linea
quoque collaterali matrimonium communiter est prohi-
bitum inter personas, quæ sibi fratrum & sororum sunt
loco, ex. gr. conjugem ducere non licet sororem uxoris
suæ. Sed hæc generaliter dicta sufficiant.

(a) Fata Constitutionis Canonicae de cognitione Spirituali
in Patria expoluerunt BÆLTER in libro om Kyrkocere-
monierne p. 619. CELSIUS in Dissert. de Constitutio-
ne Ecclesiast. Gudsvolag dicta. (b) Vid. Librum 55
de Ritu nuppiarum.

§. II.

Rationem prohibitorum in gradibus nuper com-
memoratis matrimoniorum Eruditæ reddituri naturalem,
eam arcessere solent a *Respectu Parentelæ*, in jure Natu-
rali fundato, sed per hæc connubia temerando: quid au-
tem hic importet Juris titulus raro determinant, eundem
per se satis clarum existimantes. Sed quum nostro alia
sententia fedeat animo, rubrum hujus dissertationis ple-
nius evolvemus, in antecestrum observantes, quod respe-
ctus parentelæ in anti quismiss Scriptis nulla fiat mentio.
MOSLS nennet den respectum parentelæ nirgends, scribit Il-
lustris

* 5 *

Iustis J. D. MICHAELIS, und wenigstens bey denjenigen Eben, die er für ein Greuel erkläret; welchen GOTT auch an den Cananitern Strafe, kann er schwerlich auf ihn gesehen haben (a). Neque in scriptis Auctorum probatae latinitatis occurrit vox Parentelæ, quæ sequori introductory ævo, denotavit Cognitionem parentum aut Soceri cum liberis, sicut nos docent Lexicographi, cujus vero vocis notio late adeo deinceps fuit extensa, ut ad parentes referrentur non solum naturales, sed insuper quotquot parentum loco in vita communi consuecerent haberi; quæ autem vocis acceptio absurditati non uni hinc derivandæ præbuit occasionem. Respectus vero Parentelæ intercedere dicitur, si altera persona communi stipiti immediate subest, & altera ab eodem remotior est (b). Nos per Respectum Parentelæ intelligimus relationem duarum personarum diversi sexus, quarum altera parentis, altera autem filii vel filiæ vicem sustinet; sustinere autem vicem parentum censentur quotquot communi sibi immediate subsunt. Ne autem vicarii titulus foret inanis, paria jura parentum vicariis ac naturalibus competere venditarunt. Denique erit notandum, quod Parentelæ tres constitui soleant species, quarum prima obtinet inter personas, consanguinitatis vinculo inter se junctas, altera personas in propioribus affinitatis gradibus se contingentes respicit, tertia a Pontificia Religioni addictis introductory concernit eos, inter quos cognatio sive dicta Spiritualis intercedit.

(a) Vid. J. D. MICHAELIS Mosaiches Recht Tom. II. §. 107 p. 246. (b) Vid. D'ARIES Institutiones Jurisprud. Universal. p. 361.

§. III.

In fundementum legis, qua certi in contrahendo matrimonio prohibentur gradus, inquisituris, primum expendenda venit quæstio: An Lex illa vel Naturalis sit, vel Positiva? Quæstionis hujus nodus quomodo rite sit solvendus, dubius hæret ipse Grotius, qui tamen, exceptis inter adscendentes & horum delcendentes conjugiis, ad posterioris quæstionis partem accedit, ita scribens: *Nam cauſas certas ac naturales, cur talia conjugia, ita ut legibus ac moribus vetantur, illicita ſint, adſignare qui voluerit, experiundo diſcret, quam id ſit difficile, immo preſtari non poſſit* (a). Hoc itaque poſito, ulterius quæritur: An Lex illa positiva vel Universalis sit vel Particularis? Prior ſententia maxime probabilis multis eſta, exiſtimantibus, exemplum Cananæorum horumque vicinorum propter transgressionem Legum Connubialium, Levith. XVIII occurrentium, a Deo graviter adeo punitorum, ut ex a- vitiſ, ceu v. 24. citati capitis iñſinuare putatur, ejecti fue- rint ſedibus, hanc opinionem extra dubitationis aleam po- nere. Enimvero quum per ſe conſtet, veteres Palæstinæ incolas non fuiffe punitos propter transgressionem legis Divine per Moſen demum publicatae, utpote eorum de- lictis posterioris, Grotius concludit, quod lex aliqua præ- ceſlerit, quæ cum mere naturalis non ſit, reſtat ut a Deo data ſit, aut iſis peculiariter (quod non eſt eſt veriſimi- le, nec ſatis ferunt verba) aut humano generi, ſive in prima conſtitutione, ſive in restauratione poſt diluvium (b). Sed, pace tanti viri dixerimus, valde temerarium videri, legem quandam ejusque promulgationem, utpote quæ in facto conſiſtit, ac proinde probari debebat, fingere fal- tem velle, aut citra ſufficientem rationem prælumere. Nos igitur exiſtimamus, Cananæos & horum vicinos ju- Ris-

stissimam subiisse poenam, non propter transgressionem legis cuiusdam positivæ Divinæ, de cuius indole ac promulgatione nihil plane constat, sed propter abominanda ac legi Naturali prorsus contraria flagitia, quæ Levith. XVIII v. 20, 21, 23, 24 recensentur; delicta vero, quæ in versibus proxime præcedentibus enumerantur, comprehendit sub legibus populi Judaici particularibus & forensibus, a qua etiam sententia nec alios prorsus alienos invenimus Scriptores (c).

(a) Vid. GROTHI libr. II de Jure belli & pacis C. V. §. 12. (b) Vid. libr. & cap. modo cit. §. 13. (c) Vid. libr. & Cap. cit. §. 14. item GLAEEYS Recht der Vernunft pag. 298, 299.

§. IV.

Contra ea existimant alii, Legem de gradibus in contrahendo matrimonio prohibitis, legibus accensendam esse Naturalibus, sed qui tamen non eodem modo suos subducunt calculos. Nonnulli enim urgunt, omnibus ac singulis hominibus, per pravam non corruptis consuetudinem, horrorem quendam & pudorem a natura esse insitum, eoque fieri, ut conjugia cum personis propiori cognitionis gradu secum junctis, ipsis etiam sensibus dubiis aversentur; quare nec fratres suas sorores, licet pulcherrimas, solent deperire, nec parentibus praesentibus ullum libidinis aut impudicitiae genus vel nominandum sibi permittant. Sed immane quantum falleretur quisquis arbitrio sensuum & perceptionum vel gratiarum vel ingratiarum in dijudicanda actionum moralitate stare vellet, studio virtutum, quod Lex commendat Naturalis, per solum habitum nobis ut grato obyeniente. Immo si

ayen-

aversatione naturali a connubiis arcerentur parentes & liberi, non potuisset Thebanorum Rex OEDIPODES, ut referunt Mythologi, matrem suam JOCASTAM, inscius licet, uxorem ducere, & antequam suum competreret errorem, quatuor ex ea suscipere liberos. Interse-ritur quoque conjugum identificatio, ut loqui amant, si inter parentes & liberos admitterentur connubia, adeo ut alter conjugum cum se ipso quasi consuelceret. Negari profecto nequit, quin liberi partem quandam substantiae parentum circumferant; sed an effectum quendam moralem & qualem ista habeat causa physica, nostra non perspicit ratio, sibi relicta, quæ vero, facem ei præferente Historia Sacra, nullum videt impedimentum, connubii dictis circa conjugii institutionem objectum. Ex hac enim discimus, quod Deus O. M. unum ab initio creaverit hominem, cui deinceps in uxorem dedit feminam, ex sua formatam costam; quare Adamus ad vitum suæ sponsæ exclamavit: *Os est de meo osse, & caro de mea carne* Gen. II: 23. Erat itaque Eva pars integralis corporis Adami: obtinebit heic conjugum identificatio, quavis alia cognatione propior, & tamen Deus hoc instituit conjugium; quod facere non potuisset, si talis copula, legi Naturali, in summis Dei perfectionibus fundatae, repugnasset; siquidem suæ omnipotentiae æque facile fuisse, plures homines, quam unum, producere.

§. V.

Allatis hisce argumentis multo validiores censentur rationes, ex Morali hominis natura petitæ. Scilicet quum liberi post Deum O. M. suis parentibus vitam, vitæque æquipollens bonum, probam educationem, ceteraque felicitatis suæ adminicula referant accepta; ipsi autem pro ingentibus his in se meritis ac beneficiis præter gratum ani-

animum parentibus rependere raro queant, illis hoc officium in Jure Naturali est injunctum, ut jugem in suos parentes testentur venerationem. *Enimvero cum matrimonium ex sua indole sit societas æqualis, conjugibus in mutuam personarum, jurium & obligationum communionem venientibus, huic autem æqualitati prorsus contraria sit reverentia, quæ inter eos, qui parentum ac liberorum vicem sustinent, subsistere deberet, etiam post illud tempus, quo educationis cessavit negotium, igitur concludunt, matrimonia a nobis in §. I. ceu prohibita commemorata, ob periculum venerationi filiali, ac respectui parentelæ imminens, Jure Naturali esse interdicta.* Addunt præterea, ordinem in singulis negotiis Sapientissimo placere Numini, ejusque observantia felicitatem generis humani promoveti; quare quum idem per respectum parentelæ confirmetur, per cotubia autem in gradibus prohibitis quorumvis officiorum confusio inducatur, si videlicet filius idem maritus fieret, mater insuper nomen ac functiones uxoris assumeret, communesque liberi, patris quidem fratres & sorores, matris autem nepotes ac neptes evaderent, ut alia ejusdem tenoris exempla nunc reticeamus; nullum superesse putant dubitationis scrupulum, quin thalami incesti repugnant præceptis Juris Naturalis. Multum huic argumento tribuit GROTIUS, qui postquam innuisset, ceu §. III vidimus, caussas certas ac naturales, cur incesta prohibeantur connubia, adsignari non posse, deinde subjicit: *Ab bac generalitate excipio matrimonia parentum euscunque gradus cum liberis, quæ quo minus licita sint, ratio, ni fallor, satis apparet. Nam nec maritus, qui superior est lege matrimonii, eam reverentiam potest præstare matri, quam natura exigit, nec patri filia, quia quamquam inferior est in matrimonio, ipsum tamen matrimonium talem*

inducit societatem, quæ illius necessitudinis reverentiam excludat (a). Sed quum hanc rationem uni tantum matrimonii speciei applicandam esse, nec proinde generalem esse, ipse agnoscat GROTIUS, simul admittit, ex sure Naturali genuinam & sufficientem rationem prohibitorum in certis gradibus matrimoniorum non esse petendam, quam opinionem mox pluribus confirmabimus.

(a) Vid. Libr. supra cit. II. Cap. V. §. 12.

§. VI.

Cardo itaque rei in eo nunc veritatur, ut dispiciamus, an reverentia filialis, &, qui hinc provenit, respectus parentelæ per suam indolem societati conjugali absolute & necessario contrarietur? quocirca res erit paullo altius repetenda. Matrimonium igitur est societas duarum personarum diversi sexus, tam sobolis procreandæ & educandæ caussa, quam in mutuum adjutorium, libere inita; ex qua patet definitione, personis matrimonium contrahere cupientibus non alia respectu futuræ prolis in lege Naturali præscribi officia, quam quæ hujus procreationem & educationem concernant, proindeque impedimenta a cognatione, affinitate aliisve caussis, futuris objecta conjugibus, a legibus repetenda esse Positivis, partim Divinis, partim humanis, quarum posteriores in gradibus prohibitis determinandis non raro a se invicem discrepare novimus. Ex eadē vicissim sequitur definitione, liberorum erga suos parentes officia, quæ veneratione filiali comprehenduntur, ex procreatione & educatione esse derivanda. Quocirca liberi, quotquot sunt non plane degeneres, & ote profitentur & factis testantur, se maximam probis parentibus debere venerationem. Post Summum enim

enim Numen his acceptum referunt liberi, cum quod vivant, tum etiam, quod per sollicitam, quam horum educationi illi impenderunt, curam bene vivant, saltem vivere possint. Ut vero hujus venerationis fundamen-tum plane naturale esse demonstraret CANTZIUS, eam ex sola procreatione arcessere non dubitat, ita scribens: *Scopus conjugii est procreatio sobolis; Finis paternæ societas, illi subordinatus est procreatam sobolem educare; inde officium parentis: ut sobolem educet, inde officium sobolis: ut se per omnem vitam talem erga parentes exhibeat, qualis est, nempe se præstet, ut procreatam.* Ex quibus præmissis deinde concludit, liberos ad parentes se, ut procreatum ad pro-creantem habentes, suam ex tenore legis Naturalis respe-ctu parentum agnoscere debere inæqualitatem, ac his proinde perpetuam præstare venerationem, quæ quum prorsus evanesceret, si vel filius matrem, vel pater filiam in matrimonium duceret, adeoque conjugia inter adscen-dentes & horum descendentes esse Jure Naturali prohi-bita (a). Huic autem argumentationi non adsurgunt alii, contendentes, procreationem esse actum physicum, quo conjuges potiorem habuerunt rationem necessitati physicae suæ satisfaciendi, & sensualem certe percipiendi volupta-tem, quam incertæ hinc proventuræ sobolis, tum etiam a parentum voluntate non omnino pendere liberorum procreationem, nedum nativam horum indolem, adeo-que hunc titulum pro exigenda perpetua a liberis vene-ratione a parte parentum esse minus validum. Addi pot-est, quod, quum homines sive physicæ, sive moraliter considerentur, sint æquales, ac proinde Lex jubeat Natu-ralis, ut alios æquales habeamus, prætensa illa inter pa-rentes & liberos a Cantzio inæqualitas, per generatio-nem solam producta, talo minus firmo niti videatur; adeoque nec fundamentum naturale prohibitorum inter

adscendentes & horum descendentes matrimoniorum fibi constet.

(a) Vid. CANTZII *Discipl. Morales* p. 274, 275
§. 289 seq.

§. VIII.

Restat, ut expendamus alterum venerationis parentibus a suis liberis præstandæ motivum, ab educatione, quæ latissime patet, desumptum. Extra omnem positum est controversiam, liberis in Jure Naturali hoc injungi officium, ut parentes suos ob educationis curam quovis venerationis cultu prosequantur; dubium tamen remanet, an propter hanc a mutuis arceantur connubiis. Si enim contingeret, ut parentes quidam, *sororū* plane obliiti, prolem suam recens natam, vel educationis molestias evitaturi, vel alias ob causas exponerent, nulla subest ratio, quæ nobis persuaderet talem infantem, suæ forti inhumaniter relictum, reverentiam filialem duris debere parentibus. Si igitur postmodum accideret, ut pater filiam suam, quam infantem ferre non potuit, propter alias aliasque plane eximias animi & corporis dotes deperiret ita, ut eandem thalami sociam sibi adjungere dispergeret; ex quo, quæso, Juris Naturalis capite incestum hoc censendum foret connubium? Omnis certe venerationis adorea per propriam parentis, officiorum suorum immemoris, culpam pridem fuit sublata. Sed juvat alio adhuc modo propositam expendere disquisitionem. Ponamus, quod filiolam illam, a parentibus expositam, alias, sola tenellæ misericordia ductus, in suam recipiat domum, receptaque probam educationem, aliaque beneficia, quæ a parentibus in liberos conferri solent, liberaliter præstet, nemo certe dubitare potest, quin hæc puel-

puella majorem suo nutritio, quam patri naturali, debeat venerationem. Si porro per levitatem ingenii humani contingere, ut horum uterque nuptias illius pueræ ambiret, vix ullus foret, qui non urgeret, connubium cum suo patre esse abominabile, cum nutritio autem honestum. Rationem discrepantis adeo judicii de moralitate memorati conjugii frustra inde arcessimus, quod in priori casu veneratio filialis diminueretur, quin & evanesceret; sicut enim eadem fuit nulla, utpote idoneo substituta fundamento, propter onisiam educationis, quam Lex Naturalis parentibus injungit, curam; ita eadem ex procreatione esset derivanda, quod tamen fieri non posse, §. antecedente ostendimus. Si igitur metus reverentiae imminuenda impedimento esset conjugium inire volentibus, potiori jure matrimonium alumnae cum suo nutritio esset illicitum; quæ vero opinio nec in lege Naturali, nec in gentium cultiorum, Romanis exceptis, institutionis firmum invenit præsidium. Accidere denique potest, ut liberi suis parentibus gratias non tantum agere & habere, sed referre etiam possint ob beneficia ab his inse collata, adeoque compensationi, quæ reverentiam sufflaminare potest filialem, sit locus. Ponamus enim filiam sive laudabili industria, sive singulari quodam fortunæ munere in eam pervenire conditionem, ut patri viduo, ad incitas redacto & propter duram fortem in dissolutam prolapso vitam, non solum necessaria commodioris vitæ præsidia suppeditare queat, sed eam insuper blandis suis atque indefessis precibus ac studiis ad exoptatam reducere frugem; quis dubitaret, quin filia hæc, cuius tanta sunt in patrem merita, priora apud eum ita expungat nomina, ut morali æstimatione nihil ei debeat? Sublato itaque reverentiae filialis incentivo, si præter hanc nullum aliud foret validum impedimentum, quo parentes

ac liberi a coniugiis arcerentur, posset pater sine conscientiæ morsu hanc suam benefactricem in thalami adsumere sociam. Quæ omnia luculenter, ut putamus, ostendunt, matrimonia inter adscendentibus & horum descendentes Juri Naturali absolute & simpliciter non repugnare.

